



Iacobus in oppido Imperij Giengen honestis et bonis parentibus natus est 1520. Is cum prima literarum rudimenta in patria didicisset, sese Vuitebergam contulit, atq; artibus & linguis diligentem operam nauauit. pari diligentia & Theologiae incubuit, atq; Martino Luthero & Philippo Melāchtōne præceptoribus usus plurimū in ea facultate promouit. Postea Tubingam ueniens adeo sacras literas sibi familiares reddidit, ut S. Theologiae Doctor omnium calculis crearetur. Deinde 1551 cum D. Brentio, Iacobo Beurlino, & Valētino Vannio à duce Vuirtenbergico ad Tridentinum Conciliū missus est. ubi suæ doctrinæ documenta dedit, & o-

mnibus bonis innotuit. Postea anno 1556 cum D. Iacobo Andreae & D. Simone Sultzero ditionem Caroli Marchionis Badensis prædicatione saluifici uerbi reformauit, & ab omni superstitione liberauit. Cum hoc modo Iacobus res sibi commissas summa dexteritate expediret, sacrarum literarum professor in academia Tubingensi ordinatur, ubi per multos annos sacram scripturam magna laude interpretatus est. Sepius quoq; summī Magistratus scholastici (quē Rectoratum uocant) officio functus. Scripsit Iacobus prolixum tractatū contra Asoṭū de uno præsentē & certo iudicio ecclesiastico in dubijs fidei necessario, cum alijs quibusdam. Is etiamnum Tubingæ superest, & ob multa dona à Domino sibi concessa omnibus gratissimus existit.